



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta  
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ  
Theologiæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Qvaestio XI. De fruitione, quæ est actus voluntatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

cundum hoc potest aliquis vel totaliter passionem repellere vel saltem se tenere, ne passionem sequatur. In tali enim dispositione, quia homo secundum diversas partes animae diversimode disponitur, aliud ei videtur secundum rationem, & aliud secundum passionem.

AD TERTIUM dicendum, quod voluntas non solum movetur a bono universali apprehenso per rationem, sed etiam a bono apprehenso per sensum, & ideo potest moveri ad aliquid particulare bonum absque passione appetitus sensitivi. Multa enim volumus, & operamur absque passione per solum appetitus electionem, ut patet in his, in quibus ratio renititur passioni.

ARTICULVS IIII.

Utrum voluntas moueatur de necessitate ab exteriori motivo, quod est Deus.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod voluntas ex necessitate moueatur a Deo. Omne enim agens, cui resisti non potest, ex necessitate movet: sed Deus, cum sit infinita virtutis, resisti non potest. Unde dicitur Rom. 9. Voluntati eius quis resistit? ergo Deus ex necessitate movet voluntatem.

¶ 2. Præ. Voluntas ex necessitate movetur in illa, quae naturaliter vult, ut dictum est: sed hoc est vnicuique rei naturale, ut dicitur in eo operatur, ut Aug. dicit 26. contra Faustum. ergo voluntas ex necessitate vult omne illud, ad quod a Deo movetur.

¶ 3. Præ. Possibile est, quo polito non sequitur impossibile. Sequitur autem impossibile, si ponatur, quod voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam movet, quia hoc operatio Dei esset inefficax: non ergo est possibile voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam movet, ergo necesse est eam hoc velle.

SED CONTRA est, quod dicitur Ecclesi. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, non ergo ex necessitate movet voluntatem eius.

RESPON. Dicendum, quod sicut Dion. dicit. 4. cap. de di. no. \* Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem, ita quod ex causis necessariis per motionem divinam consequuntur effectus ex necessitate: ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est actuum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius, nisi in his, ad quae naturaliter movetur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod voluntas divina non solum se extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet: sed ut etiam eo modo fiat, quo congruit naturae ipsius. Et ideo magis repugneret divinae motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suae naturae non competit, quam si moveretur libere, prout competit suae naturae.

AD SECVNDVM dicendum, quod naturale est unicuique, quod Deus operatur in ipso, ut sit ei naturale. Sic enim unicuique convenit aliquid, secundum quod Deus vult, & ei conveniat: non autem vult, quod quicquid operatur in rebus, sit eis naturale, puta, quod mortui resurgant: sed hoc vult unicuique esse naturale, quod potestati divinae subdatur.

AD III. dicendum, quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur: non tamen est impossibile simpliciter: nisi non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur.

De fruiione, qua est actus voluntatis, in quatuor articulos divisa.

DEINDE considerandum est de fruiione. Et circa hoc quaruntur quatuor.

¶ Primo, Utrum frui, sit actus appetitivae potentiae.

¶ Secundo, Utrum soli rationali creaturae conveniat, an etiam animalibus brutis.

¶ Tertio, Utrum fruiio sit tantum ultimi finis.

¶ Quarto, Utrum sit solum finis habitus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum frui, sit actus appetitivae potentiae.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod frui non sit solum appetitivae potentiae. Fru enim, nihil aliud esse videtur, quam fructum capere: sed fructum humanae vitae, quae est beatitudo, accipit intellectus, in cuius actu beatitudo consistit, ut supra ostensum est: ergo frui non est appetitivae potentiae, sed intellectus.

¶ 2. Præ. Quaelibet potentia habet proprium finem, qui est eius perfectio, sicut vivus finis est cognoscere visibile, auditus percipere sonos, & sic de aliis: sed finis rei est fructus eius: ergo frui est potentiae cuiuslibet, & non solum appetitivae.

¶ 3. Præ. Fruiio delectationem quamdam importat: sed delectatio sensibilis pertinet ad sensum, qui delectatur in suo obiecto, & eadem ratione delectatio intellectualis ad intellectum. ergo fruiio pertinet ad apprehensivam potentiam, & non ad appetitivam.

SED CONTRA est, quod Aug. dicit. 1. de doctrina Christiana, \* & in 10. de Trini. Frui, est amore inherere alicui rei propter seipsam: sed amor pertinet ad appetitivam potentiam, ergo, & frui est actus appetitivae potentiae.

RESPON. Dicendum, quod fruiio & fructus ad idem pertinere videtur, & unum ex altero derivari.

Quid autem a quo, nihil ad propositum refert, nisi quod hoc probabile videtur, quod id, quod magis est manifestum, prius etiam fuerit nominatum. Sunt autem nobis primo manifesta, quae sunt sensibilia magis: unde a sensibilibus fructibus nomen fruiionis derivatum videtur. Fructus autem sensibilis est id, quod ultimum ex arbore expectatur, & cum quadam suavitate percipitur. Unde fruiio pertinere videtur ad amorē.

Super Questioni undecima Articuli primam.

IN primo articulo questionis 1. quaeritur, quod auctor in corpore articuli, ex ratione fructus intulit solum, quod fruiio ad appetitivam partem pertinet: nec determinat an amorem, an delectationem significet: quonia scilicet erat suae questionis, quod ad appetitum spectaret: Acquiocari tamen scito vocabulum hoc apud Thomistas, & Scotistas. Nos enim fruiionis nomine, significamus delectationem, formaliter loquendo: amorem autem connotative, & casualiter: illi vero significant formaliter amorem amicitiae. Unde oportet, cum disputant, se invicem praedecclare, ne de se invicem rideant, quolibet putante alteri extra propositum loqui. Suavis autem Scoti in primo sententiis. 1. quæst. 3. ex constructione, quae fruor constituitur cum ablativo significante obiectum ex vi transpositionis, ergo significat actum, puta amorem, & non passionem puta delectationem. Dicitur enim fruor deo, sicut amor dei, & non sicut delector de deo. Hæc inquam, suasio nihil habet suasionis, quoniam constructio hic transitiva, non est nisi possessiva, grammaticè loquendo, constituitur enim cum ablativo, vel genitivo, ex eo quod est deponens possessivum, unde ex hoc non habetur, quod significet actum, sed stat, quod significet passionem per modum possessionis: & vere sic est. Frui enim importando delectationem, denotat rem qua fruimur, a nobis possideri. Longè autem peripicuum magis erat a Grammaticis, & Oratoribus persuaderi, quod nos dicimus: nominibus enim utendum est, ut plures. Constat autem frequentissimo Gram-

Inf. artic. 2. cor. Et. di. 19. art. 1.

9.3. art. 8

e. 4. in prin. c. 19. q. 10. a. 6.

Art. 1. huius quest. cap. 3. ante articulo 6.

non p oculi a fi.

Grammaticorum usu, non nisi ad delectationem spectare: unde & dicitur, quod significat cum gaudio uti. Non enim dicimus fruor cantu. i. amo cantum: sed. i. delectationem percipio de cantu. Neque cum dicitur, Veni, fruamur cupitis amplexibus, Prouerb. cap. 1. inuitamur ad amandum: sed. ad delectationem percipiendam. Et Paulus cum Philemoni dicit, Ego te fruor in Domino, non. Ego te amabo: sed. ego te delectabor in Domino, sonat. Abusu igitur frui pro amore formaliter sumi potest: proprie autem non. nisi æquiuocando ad placitum.

D. 656.

q. 9. art. 1.

In responsione ad secundum eisdem primi articuli, dicitur, quod quia bonum est commune ad omnia genera, sicut & ens: sicut quilibet perfectio, quilibet finis, quodlibet obiectum secundum suam specialem rationem habet rationem entis, ita & boni. Videre. n. & visibile ut sic, sunt entia & bona: & notificatio huius est, quod qualibet potentia appetit naturaliter sua perfectionem, suum finem. suum obiectum ut sic. Vnde verum, in quantum verum, quia est naturalis appetitus appetit ab intellectu, est species boni: & similiter utibile, & intelligere, & videre, & reliqua. quia ergo ista sunt boni species, & continentur sub bono in communi, quod est obiectum uoluntatis, ut propria sub communi dupliciter appetuntur, primo appetitum naturali ab his quorum sunt bona propria: secundum appetitum animali a uoluntate, sub cuius obiecto continentur. & propterea sequuntur illa duo, quæ in littera exprimentur.

Inf. q. 13. art. 5. ad 2. Et 1. dist. 1. q. 4. artic. 1. cap. 3. & 23. tomo 3.

Super Questionibus undecim Articuli secundum.

In reliquis questionibus 11. articuli nihil scribendum occurrit.

q. 9. ante medium, tomo 4.

vel delectationem, quam aliquis habet de ultimo expectato, quod est finis. Finis autem & bonum, est obiectum appetitiue potentie: unde manifestum est, quod fructio est actus appetitiue potentie.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet unum & idem, secundum diuersas rationes, ad diuersas potentias pertinere. Ipsa igitur visio Dei, in quantum est visio, est actus intellectus: in quantum autem est bonum & finis, est uoluntatis obiectum, & hoc modo est eius fructio: & finem hunc intellectus consequitur tanquam potentia agens: uoluntas autem tanquam potentia mouens ad finem, & fruens sine iam adeptio.

Ad secundum dicendum, quod perfectio, & finis cuiuslibet alterius potentie, continetur sub obiecto appetitiue, sicut proprium sub communi, ut dictum est supra. Vnde perfectio, & finis cuiuslibet potentie, in quantum est quoddam bonum, pertinet ad appetitiuam, propter quod appetitiua potentia mouet alias ad suos fines, & ipsa consequitur finem, quando quælibet aliarum pertingit ad finem.

Ad tertium dicendum, quod in delectatione duo sunt, scilicet conceptio conuenientis, quæ pertinet ad apprehensiuam potentiam: & contentia eius, quod offertur, ut conueniens: & hoc pertinet ad appetitiuam potentiam, in qua ratio delectationis completur.

ARTICVLVS II.

Utrum frui conueniat tantum rationali creatura, an etiam animalibus brutis.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod frui solummodo sit hominum. Dicitur enim Augustinus in primo de doctrina Christiana, quod nos homines sumus, quod fruimur, & utimur. non ergo alia animalia frui possunt.

¶ 2. Præter. Frui est ultimi finis: sed ad ultimum finem non possunt pertinere bruta animalia. ergo eorum non est frui.

¶ 3. Præter. Sicut appetitus sensitiuus est sub intellectiuo, ita appetitus naturalis est sub sensitiuo: si igitur frui pertinet ad appetitum sensitiuum, uidetur quod pari ratione possit ad naturalem pertinere. quod patet esse falsum, quia non est delectari ergo appetitus sensitiuus non est frui: & ita non conuenit brutis animalibus.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in li. 83. q. 1. Frui quidem cibo, & qualibet corporali uoluptate, non absurde existimatur, & bestia.

Respon. Dicendum, quod sicut ex prædictis habetur, frui non est actus potentie peruenientis ad finem, sicut exequentis: sed potentie imperantis executionem. Dicitur enim est appetitiue potentie. In rebus autem cognitione carentibus inuenitur quidem potentia pertingens ad finem per modum exequentis, sicut graue tendit deorsum, & leue sursum. Sed potentia, ad quam pertinet finis per modum imperantis, non inuenitur in eis, sed in aliqua superiori natura, quæ sic mouet rotam naturam per imperium, sicut in habentibus cognitionem appetitus mouet alias potentias ad suos actus. Vnde manifestum est, quod in his, quæ cognitione carent, quæuis pertingant ad finem, non inuenitur fructio finis, sed solum in his, quæ cognitionem habent. Sed cognitio finis est duplex, perfecta, & imperfecta. Perfecta quidem, qua non solum cognoscitur id, quod est finis & bonum, sed ratio uniuersalis finis & boni: & talis cognitio est solius rationalis nature. Imperfecta autem cognitio est, qua cognoscitur particulariter finis, & bonum: & talis cognitio est in brutis animalibus, quorum & uirtutes appetitiue non sunt imperantes libere, sed secundum naturalem instinctum ad ea, quæ apprehendunt, mouentur: unde rationali nature conuenit fructio secundum rationem perfectam: brutis autem animalibus secundum rationem imperfectam: aliis autem creaturis nullo modo.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus loquitur de fructione perfecta.

Ad secundum dicendum, quod non oportet, quod fructio sit ultimi finis simpliciter: sed eius quod habetur ab unoquoque pro ultimo fine.

Ad tertium dicendum, quod appetitus sensitiuus consequitur aliquam cognitionem: non autem appetitus naturalis, præcipue prout est in his, quæ cognitione carent.

Ad quartum dicendum, quod Augustinus ibi loquitur de fructione imperfecta: quod ex ipso modo loquendi apparet. dicit enim, quod frui non adeo absurde existimatur & bestia, sicut, uti, absurdisime dicerentur.

ARTICVLVS III.

Utrum fructio sit tantum ultimi finis.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod fructio non sit tantum ultimi finis. Dicitur enim. Apostolus ad Philemonem. Ita fratres, ego te fruor in Domino: sed manifestum est, quod Paulus non posuerat ultimum suum finem in homine. ergo frui non tantum est ultimi finis. ¶ 2. Præter. Fructus est, quo aliquis fruitor: sed Apostolus dicit ad Gal. 3. Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, & huiusmodi: quæ non habent rationem ultimi finis. non ergo fructio est tantum ultimi finis.

¶ 3. Præter. Actus uoluntatis supra seipsum reflectuntur. Volo enim me uelle, & amo me amare: sed frui est actus uoluntatis. uoluntas enim est per quam fruimur, ut Augustinus dicit 10. de Trin. ergo aliquis fruitor sua fructione: sed fructio non est ultimus finis hominis, sed solum bonum increatum, quod est Deus. non ergo fructio est solum ultimi finis.

Sed contra est, quod Augustinus dicit 10. de Trin. Non fruitor fructus id, quod in facultatem uoluntatis assumit, propter aliud appetit: sed solum ultimus finis est, qui non propter aliud appetitur. ergo solius ultimi finis est fructio.

Respondeo. Dicendum, quod sicut dictum est, ad rationem fructus duo pertinent, scilicet quod sit ultimum, & quod appetitum quietet quadam dulcedine, vel delectatione. Ultimum autem est simpliciter, & secundum quid simpliciter quidem, quod ad aliud non refertur: sed, secundum quid, quod

\* art. præced. ad 2. \* art. præced. ad 1. & h. corp.

D. 714.

\* Cap. re. tom.

\* Cap. modis. mo. j.

libro 83. q. 4. quæ. 10.

\* Glo. linear. Gal. 3. bet. 8. tur. 1. dil. q. 1. art. 9. a.

q. 1. art. 1. ad 3.

\* cap. 10. de re. medicin. tom. 3.

\* cap. 11. ante med. 10. 3.

\* art. 1. huius quæst.

lib. 1. art. 1. cap. 1. tom. 3.